

ultrici, domos et m^oenia c^on^octa in planum proficientes. Sic autem promissa iniqua et vane cogitationes^a conjuratorum voluntate divina et constantissimi populi prudentia, infra breve tempus, sine alicujus civis periculo, ad nihilum sunt redacta, juxta^e illud: Melius est astu, quam defendere fastu.

1/

Quando Faventini iverunt cum Bononiensibus super Ariminenses apud castrum Sancti Archangeli. //

CAP. CXLVI.

Anno m^occxvi^a Faventini in mense Augusto perrexerunt cum Bononiensibus super Ariminensibus, et propriis expensis servierunt eis ultra mensem, ad devastandum^a [a] comitatum Ariminensem, et praesertim castrum Sancti Archangeli [A], donec Ariminenses reddiderunt eis plures quam mille quingentis ex Caesenatibus [b], quos in captivitate habebant. Quibus rite paratis, reversi sunt domum [c] cum gloria. Verum quia, contra voluntatem domini papae [B] et treguam, eis hunc [d] fecerant exercitum, remanserunt excommunicati tam Faventini quam Bononienses.

2/

Quando Bagnacaballenses reversi sunt ad mandata Faventinorum.

CAP. CXLVII.

Eodem anno Bagnacaballenses reversi sunt ad mandata Faventinorum, ita ut omnes munitiones, quae in burgo erant et in castro, destruere deberent. Per plures enim annos ante, non bene se cum eis habuerant.

1/

Quando Faventini destruxerunt turres Gattariae. //

CAP. CXLVIII.

Praeterea anno eodem Faventini destruxerunt duas altissimas atque fortissimas turres, cum palatiis magnis castri Gattariae [C], propter stultitiam Amatoris filii

[a] ad devastandum. Deest ad in Codd. — [b] plures quam mille quingentis ex Caesenatibus. Sic Codd. — [c] reversi sunt domum. Sic corrigo, reversi sunt domi Codd. — [d] eis hunc. Sic Codd. An forte legendum: ejus hunc? Tondutius, haec verba referens, omittit vocem eis.

[A] Castrum Sancti Archangeli, vulgo Sant'Aroangelo, jacet inter Ariminum et Caesenam, ad meridiem, estque oppidum non ignobile.

[B] Honorii scilicet III.

[C] Gattaria, vulgo Gattara, in valle Anemonis, procul Faventia viginti milliariis.